



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 22. De conformitate cum interno animi sensu Jesu Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

October.

queant ad obstacula, quæ successum impedire possint, evitanda, & superanda. Cur non id ipsum possent pro salute sua? vide, quò referatur tota meditatio, quæ ab ipsis exigitur.

Statue quotidie saltem horæ quadrantem tribuere meditationi, vel piæ, & consideratæ lectioni.

Nisi, quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea. *Psal. 118. 29.*

Intellectus cogitabundus est principium omnis boni. *S. Aug.*

DIES XXII.

De Conformitate, quam habere nos decet cum interno animi sensu Iesu Christi.

I.

*Eph. 4.
v. 24.*

Induite novum hominem, inquit Apostolus, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis. Homo iste novus alius non est, nisi Christus ipse. Qui verò novum istum interiorem hominem induemus? per Conformitatem perfectam, quam cum ipso acquiremus. Hæc est similitudo interior, quæ imitationis nostræ fractus esse debet: ac quid est Spiritum Chri.

Christi habere? est idem de rebus sentire, **October.**

& judicare, quod ipse; est earundem rerum studio teneri, quarum ipse; est idem amare, quod Christus; est eadem habere principia, & finem actionum suarum, quem ipse habuit. Ex his regulis collige, an Spiritu Christi animeris, an id ipsum spectes, an Christianus sis. *Rom. 8. v. 9.*

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Non est Christianus. Potésne Spiritum Christi habere, si Spiritum mundi habes illi à natura oppositum? & si Spiritum Christi non habes, ésne Christianus?

II. Ut Spiritum Christi habeas, habere te oportet eisdem animi sensus, quos Christus habuit, de rebus judicare, sicut Christus de illis judicavit. Christus judicavit, veram sublimitatem consistere in humilitate, vel hanc esse regiã ad illam perveniendi viam; felicitatem Christiani in rebus adversis, veras divitias in paupertate, vel separatione à bonis terrenis inveniri; id, quod coram hominibus magnum est, coram Deo abominabile esse, locum postremum primo præhabendum; Is necessarium esse duxit, sibi ipsi renuntiare, animam suam perdere ad comparandam ei felicitatem æternam; se ipsum verè amare, esse se odisse illo odio, quod vel causa, vel effectus est amoris, quo

October.

quo in Deum ferimur. Habésne de hisce rebus eosdem animi sensus, quos Christus? idémne de iis iudicium fers, quod ipse? Examina teipsum, scrutare cor tuum, quin tibi blandiari; si inveneris te idem cum Christo sentire, Spiritum Christi habes; & verus Christianus es. At si cor tuum contrarium tibi respondet, Spiritu Christi cares. Si verò Spiritu Christi cares, ésne Christianus? si Christianus non es, quis igitur es?

III. Spiritum Christi habere, est earundem rerum affici studio, quarum ipse afficitur; est amare, quod ipse amat: is amavit ærumnas, paupertatem, & sui contemptum non amore sensibili, sed amore æstimationis, non quòd eæ in seipsis amore dignæ forent; sed quòd essent media, summè idonea ad promovendam Patris sui gloriam, & hominum salutem: si Spiritum Christi habes, nec tamen ita animo comparatus es, ut ærumnas, & tui despicientiam ames, sicut ipsius exemplum ad eas amandas incitare te deberet, saltem æquo animo eas tolerato, quas divina Providentia tibi submittit, vel gloria Dei, proximi salus tolerandas suadebit. Spiritum habere Christi, est habere idem principium, eundémque finem actionum tuarum, quem
Chri-

Christus. Quodnam est actionum Christi principium? gratia, & charitas; estne hoc actionum tuarum principium? quisnam finis actionum Christi fuit? gloria Patris æterni. Estne hic etiam finis tuarum? si ita res se habet, Spiritum Christi habes; sin verò; non habes, nisi Spiritum tibi proprium, nisi Spiritum mundi, nempe Spiritum Reprobationis.

Examina te super his regulis, quin tibi assenteris, ut videas, an Spiritum Christi habeas, id est, an verè Christianus sis.

Induite vos novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. *Ephes. 4. 24.*

Quis beatam vitam arbitretur in iis esse, quæ contemnenda esse docuit Filius Dei. *Aug.*

DIES XXIII.

De Pietate Erga Beatissimam Virginem.

I.

Pietas erga Beatissimam Virginem hæreticis superstitio est, ingenijs stoicis ineptiæ, novatoribus imprudentia: sed veri Christiani solidissimam esse pietatem credunt

F

dunt